



IN
SELECTOS QUOSDAM
V. AC N. FOEDERIS TEXTUS.

I.

IN GENESIS 3, 1 — 6.

*Biblica historia de seductis ac lapsis protoplatatis a Mose descripta, non est allegoria ex palato Orientalis ingenii: *) Expositio ad literam **) divinis attributis nec repugnat, nec inconveniens quidquam &c. infert. ***)*

*) Haec narratio illa, quam improbe Midleton, Helmond, Beverland impetunt cum innumeris Bibliomachis. — Qui non nihil temperatus scribunt, Mosen existimant ad hieroglyphica Aegyptiorum respxisse, qui de industria sermones suos typis ac emblematis obvelarunt, ne a quovis intelligerentur; verum Mosis (Historiographi) scopus fuerat, rem summi momenti de creatione mundi, de statu primigenio, lapsu generis humani, ac consecuta pernicie, omnes utut simplices, rudes, ipsasque etiam soboles docere. Mosis stylus & character omnes candidae sinceritatis notas prae se fert. Quid vero de eo dicendum

*

fo-

foret, si hanc veritatem, quam pernosse
hominum omnium refert, allegoriae fuso
involutam obscurasset? & qua de causa ob-
scurasset? Nonne Hagiographus c. 4, 1.
scribit: **וְעַזְוָה אֲשֶׁר** quo funda-
mento eruent, Orientalium communem
hunc scribendi morem fuisse? cur vero alibi
Moses stylo plano, & dilucido utitur? Cer-
te apud *Euseb. de praeparat. Evang.* lib. 1. c.
6. edit. *Basil.* pag. 26. *Sanctuniathon a Mo-*
saico aevo longe serius vivens, junioribus
allegoricum, tropologicum & obscurum
dicendi genus adtribuit, haec verba sunt:
Juniores sacrarum rerum interpretes, res ge-
stas repellentes, fabulas, fabularumque allego-
rias excogitarunt, quas rebus naturalibus im-
ponentes, mysteria cum tanta obscuritate in-
duxerunt, ut nemo facile veritatem possit per-
spicere.

**) Ad literam intelligunt *S. Paul.* 2. *Cor.* 2,
3. *1. Tim.* 2, 14. *Apoc.* 12, 9. 20, 2.
hoc loc. *Satanas* *Draco* & *serpens antiquus*
dicitur: consequitur, dictio hujus veri-
tatem ex hac historia esse capiendam, quo-
modo tandem cunque diabolus per **הנַּשְׁתֵּן**
Evam deceperit. Et dum cit. loc. *Adam*
non est seductus, mulier autem seducta in prae-
varicatione fuit, concludit Apostolus, sub-
jectionem, silentium, disciplinam decere
muliebrem sexum. Hunc lapsum ad lit.
semper agnovit prisca *Judaeorum Ecclesia*
Ec-

Eccles. 17, 5. 6. & 25, 32. Veritatem istam testatam faciunt crebriores Gentilium, & Ophitarum idololatriae, quae cum serpentibus perpetratae, totidem monumenta sunt primae per serpentem seductionis, quibus omnibus Satanas miserum adhuc hominem voluit ludificare. *R. Maimonides*, licet ad tropicam explicationem abstractus, notat, *Adae, Evaе, arboris, serpentis* historiam apud Indos aevo suo fuisse perspectam; imo remotissimis paganis & idololatriis adhucdum notam esse, viri docti testantur. Ferunt etiam in vetustissimis Graecorum mysteriis adclamatum: *ευα*, ac simul monstratum esse serpentem.... Moses quidem expressam de diabolo mentionem non fecit, gravibus de causis, quibus commotus nec spiritus aut genios commemorat. Hunc loc. *S. August.* Lib. 14. *de Civit. C. 11. edit. Antv.* mirifice illustrat.

***) Divinae sapientiae, bonitati & justitiae non reclamat, ut cum multis Antimosaicis putat Bolingbrocke. Deus utique praevedit, sed justis de causis hunc lapsum permisit, propterea tamen non fuit necessarius, nec poena justo acerbior; imo plus innotuit per dispensationem sacramenti absconditi a seculis multiformis sapientia Dei & clementia Conf. *Epb. 3, 9. 10.* Et quid in toto mundo adeo verum ac serium est reperire, quod per ludicram detorsionem non pos-